

Petrus de Vinea

*Ep. V 84 (Ad nostram
accedens presentiam G. de...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 84 (Ad nostram
accedens presentiam G. de...)*

1243? settembre 1245?

Capitano, ut causam appellationis et processum debeat ad curiam destinare.

1. Ad nostram accedens presentiam G. de ..., fidelis noster, nobis exposuit cum querela, quod inter B. mulierem, neptem suam eiusque curatorem, agentes ex parte una, et G. de eodem loco ex altera, super possessione cuiusdam ponderis et tenimenti coram G. de Spoleto, in comitatu Firmano iudice ordinario, questio extitit uentilata. In qua idem iudex de iure procedens, sicut asserit, pro ipsa B. tulit sententiam contra eum: a qua idem G. sentiens se grauatum, ad tuum examen se asserit appellasse. 2. Postmodum uero, quod tu, assistente tibi R. de Lauda, iudice et assessore, fideli nostro, coram te partibus non uocatis, et causae meritis, ut ius est, non inspectis, dictam sententiam confirmasti, eundem G. pro expensis in causa ipsa factis pro B. predicta in tribus libris contra iustitiam condemnando. Idem uero G. a dictae sententiae confirmatione et predictarum expensarum condemnatione sentiens indebite se grauatum, ad nostram audientiam appellauit. 3. Cumque idem G. uelit appellationem prosequi supradictam in curia nostra magna, fidelitati tuae precipiendo mandamus, quatenus processum totum, super premissis habitum, sub tui impressione sigilli nostrae curiae destinare studeas seriatim: utrique parti per te certo et peremptorio termino assignato, quo nostrae curiae se debeant presentare in premissis processuri, iustitia mediante. 4. Et presertim appellatione pendente contra ipsum G. non facias nec patiaris fieri aliquid nouitatis, cum, appellatione pendente, nil debeat innouari. 5. Si quid uero post appellationem ipsam ad nos interiectam attemptatum est,

per te aut iudices tuos, in statum pristinum reducturus,
prout de iure uideris expedire: et de die citationis, et
forma nostram curiam edocturus.